



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plurimorum Maxime Illvstrivm Adornata**

**Visch, Charles de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1656**

Capvt II. Solutio prædictorum, & quod verè vnitas est in essentia, &  
pluralitas in Personis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38433**

## CAPVT II.

*Solutio prædictorum, & quod verè vnitas est in essen-  
tia, & pluralitas in Personis.*

**A**D primam obiectionem sic respondemus: cū dicitur vnus, vel vnus naturæ Deus est, nulla triū Personarū excluditur, quia ipse sunt vnus Deus, & vnus naturæ, veluti dici potest de his vocibus adiectiuis, albus, alba, album; qui profert enim vnā, nullam aliarum vocum excludit, quia sunt vnum nomen: nam licet istæ voces plures sunt, non tamen sunt plura nomina, sed vnum, & vnus institutionis nomen. Similiter, tres personæ sunt vnus, & vnus essentiæ Deus. Quamuis enim in naturalibus verum sit, tot esse substantias vel naturas, quot sunt subsistentes personæ; tamen qui naturam creauit, naturæ subiectus non est: licet enim tres sint Personæ, vnus tamen sunt naturæ; quia si pluralitas esset naturarum, plura dicerentur esse rerum principia, quod abhorret fides catholica. Et quamuis Deus sit trinus, non tamen est triplex, nam triplex notat partium, vel naturarum pluralitatem: in Deo autem, tres Personæ non sunt quasi tres partes quæ Deum constituent; quia si hoc esset, Deus simplex non esset, & sic non esset suæ essentiæ principium; nam omne compositum est genitum. Non sunt ibi etiam plures naturæ, quia sic plures essent dij, vel vnus Deus triformis esset, quod Christiana abhorret Religio. Dicimus ergo, quod alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen alius Deus est Pater, alius Deus est Filius, alius Deus est Spiritus Sanctus, sicut hæc vox, albus, est alia quam hæc vox, alba, non tamen aliud nomen. Dicimus etiam: quod iuxta Fidem catholicam non est aliqua monstruositas, sed demonstrata veritas, hæc est, demonstrata ratione, & modo probabili. Dici-

mus quoque, vnitas est in Trinitate, & trinitas in vnitate, & tres esse vnum Deum, non tamen constituimus Deum alienum, cum illæ tres personæ sint vnus Deus, & vnus naturæ. Idè autem hoc mysterium Deus Iudæis in veterilege figuris velauit, sicut & alia ad Fidem pertinentia, vt secundum temporis accessum, Christianæ Religionis Fides haberet progressum, Nam ante legem Mosaicam sufficiebat alicui credere quod vnus esset Deus, idemque remunerator esset bonorum, & punitor malorum, ita tamen vt reuerentia viuendi responderet reuerentia Fidei. In veteri tamen testamento, seu tempore legis Mosaicæ, maiores quibus reuelatum erat, credebant Deum trinum & vnum; simplices verò, venerabantur ipsos maiores, credentes quod ipsi credebant, & in hac Fide saluabantur. Postquam verò Apostoli Trinitatis Fidem prædicauerunt, vbique omnes adulti & discreti tenentur credere Deum trinum & vnum.

Nec oportet, si Pater genuit Filium, quod ibi facta sit decisio: cum enim Pater omnifariam simplex sit, de se Filium non genuit per substantiæ decisionem, sed secundum naturæ integritatem, ita vt tota substantia Patris sit substantia Filij; quod autem Pater Filium genuerit, probabitur infra. In Trinitate verò secundum aliquid attenditur pluralitas, & secundum aliquid identitas; quia in Personis pluralitas, in naturâ & essentiâ, identitas.

Dicimus etiam, quod in naturalibus, nullum simplex ex se aliquid gignere potest; vnde nec anima animam, nec Spiritum Spiritum Spiritus: in diuinis autem, ratio longè alia pactum reformat, nec diuina generatio humana respondet: quia sicut natura Dei omnem superat naturam, sic Dei generatio superat humanam. Vnde Ilias: (a) *Generationem eius quis enarrabit?*

CA.

(a) Iſaia 53. v. 8. (b) 2. i. m. 10. (c)